

Ἐν ὀνόματι τοῦ Θεοῦ Τετραγύνη; 326. IX.

EXERCITIUM  
ACADEMICUM,  
EXHIBENS  
QVÆSTIONES  
QVASDAM  
PHILOSOPHICAS:

Qvod

*Cælesti adfulgente favore,*

Amplissimo Collegio Philosophico  
Consente & Consentiente,

In

Regio Academia Aboënsi,  
Ejusdemque  
Auditorio Maximo

Liberalis Speciminis gratia

*Ad probandas & excolendas ingenii Vires  
Examinandum proponimus,*

M. ERICUS STEENBERGIUS,  
&  
ERICUS FONSENIUS,

Ad diem 26. Septemb. Anno 1685.  
horis ante meridiem consuetis.

A B O Æ,

---

Exc. apud JOH. LAUR. WALLIUM, A.T.

*W.*

OVERSTONES

OF ASSAM

PHILOSOPHICAL

COLLEGE OF INDIAN

UNIVERSITY

DISCUSSION

BY

THE

ASSAM

BENEVOLE LECTOR :

**A** illis instituti mei non sine prefatione adeundi procedat exordium, qui in hac seculi ad deteriora prolabentis nequitia eruditionis sive honorem sive fortunam animo concipiunt, non paucis vel erroribus se involvere, vel constantis bonae mentis propositi turbamenta sentire, deprehenduntur. Quare anceps certamen cogitationes meae, inuicem animum diversa agitantem commouentes certarunt, an haec altioris iudicii limam non perpolita factura aspectum tuum in incepto cum molestiis luctando esset subitura? Utrum mutata sententiam inimicis turpiter sese submissura? Satis scio, miraberis conatum hunc fortè audacem ac propositum immaturum, & si non publicam, tacitam tamen existimatione tua reprehendes, meque pro lubitu sustinenda huic moli prorsus imparem taxabis. Sed hanc rigidam censuram, de his questionibus nullo artificio singulari contextis, non tam metuendam existimo, quam meam ipsius sortem, quod aliquo temporis tractu à literariâ palestra remotus fueram, paenitentiam. Neque Philantiae ac alto euidam spiritui hunc discursum tribuas, quoniam imbecillitatis meae probè conscius fateor, Cujus natura sum soboles & institutione alumnus, me hocce exercitium, non in elationis pompam aggressum, verum disciplinae ulterioris observanda & eruditionis consequenda nutrimentum, idem.

*identidem mente revolvens præclaræ Senecæ  
verba, in hunc modum perorantis: Nisi huc ad-  
mitterer, non fuerat operæ pretiū nasci: Quid  
enim erat, quod in numero viventium me posi-  
tum esse gauderem? An ut cibos & potiones  
percolarem? ut corpus hoc casurum ac flui-  
dum periturumq; nisi subinde impleatur, sar-  
cirem & viverem ægri minister, ut mortem ti-  
merem cui omnes nascimur? detrahe hoc in-  
æstimabile bonum, non est vita tanti ut sudem,  
ut æstem. O quam contempta res est homo,  
nisi supra humana se erexerit. Hujus salubris  
consilii de prædicanda ratio, superavit ingenii  
exigui verecundiam, ut in his questionibus in-  
genii vires hac vice periclitarer meas, ac bene-  
volorum voluntati obsequerem, qui mihi sua-  
sores fuerunt ut hac ratione toto animo inve-  
stigarem illorum Sapientiam, qui in literarum  
hortum Lympha veri ac boni irriguum, tanquã  
qui arant ac serunt, cernui incumbunt. Ne vi-  
dear Te, Benigne Lector, ad interiora hujus di-  
sputationis forsassis properantem diutius in li-  
mine morari; igitur omnes in deterius recte  
corquentes Censores, indignantis silentii sup-  
plicio punitos, meæ præfationis huic exiguo la-  
bori præfigenda transibit modestia: Tuamq;  
solitam benevolentiam majorem in modū rogo,  
ut styli maciem, argumentorum exiguitatē &  
hanc in publicum prodeundi audaciã in melio-  
rem partē interpreteris, siquidem tunc trium-  
phabunt Doctrina & Virtus, quum intelligant  
benignos se habere æstimatores, Vale.*

QUÆST. I.

*An Abstractionis intellectualis præcisiva aliqua sit necessitas?*

**E**Xplicandi hic veniunt termini, qui ad hujus propositæ quæstionis veritatem habendam nonnihil juvare possunt; inprimis ejus subjectum, quod hic nomine *Abstractionis* occurrit, perpendendum: *Abstrahio* dicitur ab abstrahendo, qui abstrahendi modus, generatim secundum Scheiblerum, est nihil aliud, quam apprehendere vel cognoscere unum sine alio; vel *abstrahere* est terminare cognitionem ad unum, non cognitio his, quæ cum eo sunt conjuncta. Veritas præsentis quæstionis ut adhuc commodius adstrui possit, etiam ambiguitas ex subjecto tollenda. *Abstrahio* de quâ hic primario agimus, non est *Grammatica, Logica, Physica, Theologica, Sensualis*; sed *intellectualis*, eaq; non tam *negativa*, quam *præcisiva*. Hæc adæquatè dispescitur in eam, quæ est secundum *rem seu essentiam*, quæ alias dicitur *absoluta & Pneumatica* propria, quæq; immateriales sibi tantum vendicat conceptus, materiam non saltem non supponentes, sed etiam planè respicientes; quomodo spiritus a finito & infinito præcisus, abstractus dicitur secundum *rem*, quando conceptus rei

A

obje-

objectivus in materia non inest; h. e. quando materiam planè excludimus, eamque in nullo objecti statu admittimus. Veritatis punctum proindè non attingunt, qui abstractionem secundum rem & rationem simul Metaphysicæ & Pneumaticæ assignant: talis enim tanquam media inter duas hæc species non datur, quia hæc materiam & prorsus excluderet, quia secundum rem esset; & non excluderet, quia secundum rationem esset; quod ἀντιφασικὸν seu contradictorium est. *Abstractio*, quæ est secundum rationem est quadruplex: 1. Secundum indifferentiam, estq; *Metaphysicæ*: 2. à materia signatâ seu singulari, estq; *Physicæ*: 3. à materia universali & singulari seu materia sensibili, quæ Mathematicæ propria & 4. secundum *universale subjectum*, quæ Philosophiæ Practicæ competit. Prædicatum quæstionis consideraturi apprehendimus doctrinam Abstractionis necessariam atq; utilem, cujus usus est tantus, tanta necessitas, ut latitans veritas è profundo puteo eruenda & in plenam lucem proferenda beneficio ejusdem investigetur; tanta inquam necessitas, ut omnem scientiam tollat, qui hanc tollit; hæc enim medium illud est, quod in distinctam rei cognitionem nos deducit unicè; imo medium illud, quo omnem consequimur  
veri-

veritatem ; isq; Philosophus demum habetur optimus, qui abstrahere ritè novit & etiam inter unitissima distinguere. Hæc abstrahit substantialia ab accidentalibus; essentialia à circumstantialibus; rem cognoscibilem à materia & à conditionibus, quibus adstricta est, individuantibus; essentiam ab adventitiis defectibus; Naturam à modis; universalia seu generalia à singularibus conditionibus, ut res in ideâ sisti possit; Rem è statu singularitatis seu proprio in universalem vel eminentem deducit. Abstractionis munere composita & concreta distinctè concipiuntur, quæ sunt confusa & intricata, distinctè explicantur & ordinè digeruntur. Præcipuus Abstractionis usus, & officium non contemnendum in specie circa limitationem objectorum est disciplinarium; quia disciplinæ Philosophicæ constituuntur & distinguuntur objectis, adjunctâ abstractione, cuiq; disciplinæ propriâ.

## QUÆST. II.

*An detur usus Philosophiæ in Theologia?*

**E**X necessitate rei & ratione instituti, in hujus quoq; quæstionis, licet satis frequentatæ, ventilatione memet exercere volui, quoniam in affirmantem sententiæ partem de-

scendentibus multa semper objici solent ab illis, qui Philosophiæ cognitionem Theologon non modo inutilem, sed & perniciosam clamitant, adeoq; planè e scholâ Theologicâ exterminandam esse contendunt. Et veritas hujus ut eo commodius adstrui possit, etiam hic tum subjectum tum prædicatum in considerationem veniunt; 1. Quod Philosophia non intelligitur hic *Sophistica*, quæ sub specie veræ Philosophiæ fallit & seducit; Nec 2. *in concreto*, prout reperitur in hoc vel illo subjecto; sic namq; significat vel varias variarum opinionum præconceptarum sectas, vel copiosam myriadem quæstionum spinosarum in utramq; partem disputabilium; Sed *in abstracto*, qualis in se, in sua sphaera relicta & sua naturâ esse debet; neq; tantum hæc vel illa pars Philosophiæ, sed propriè & adæquatè accepta. Vox Theologiæ non accipitur *γενικῶς generaliter*, sed *ειδικῶς* pro vera & ex Scripturis tantum hausta rerum divinarum scientia. Nec tamen in sensu latiori, pro fide & religione *Christiana*, omnibus fidelibus, eum doctis tum indoctis communi. Nec primario pro tali rerum Theologicarum cognitione, quæ simplicioribus Ecclesiæ Ministris sufficere potest ad quodammodo formandas conciones ad populum; Sed tali Theologia, quæ accurata &



ta & perfecta myſteriorum divinatorum ſcien-  
 tia cum excellenti *δυνάμει τῆς ἀνπλέζοντας*  
 arguendi conjuncta eſt. Ut adhuc ſenſus qua-  
 ſtionis fiat evidentior, penitiori ejus exami-  
 ni memet accingam conſideraturus, quid  
 per *uſum* in quaſtione intelligitur; nempe  
*uſus* Philoſophiæ verus, legitimus, ſobrius,  
 moderatus: qui 1. eſt *ὀργανικὸς*, conſiſtens  
 in *Grammaticâ* nativæ ac propriæ vocum ſi-  
 gnificationis explicatione; in *Retboricâ* tro-  
 porum ac figurarum expoſitione; in *Logicâ*  
 orationis diſpoſitione. Uſus 2. eſt *διδαſκα-  
 λικὸς & καταſκευαſτικὸς*, qui conſiſtit (α)  
 in *terminorum ſimplicium Philoſophicorum*  
*explicatione*: qui multi reperiuntur in S.  
 Scriptura, & appellantur *termini bibliici*,  
 ac ſunt partim *Theoretici*, partim *præctici*;  
 Multi in ſuper *termini Eccleſiaſtici* dicuntur,  
 qui quidem in ſcripto Dei verbo *ἀυτολεξῆι*  
 non reperiuntur, ſed ab Eccleſiaſticiſ Scri-  
 ptotibus in Eccleſiæ pomœria ſunt introdu-  
 cti, quos nullus Theologorum accuratè ex-  
 plicabit, niſi in ſcholarum Philoſophicarum  
 umbris aliquamdiu ſit enutritus. (β) *In que-  
 ſtionum vel integrarum ſententiarum expo-  
 ſitione & interpretatione*, quæ ſunt in du-  
 plici differentiâ; aliæ ſunt *pure*, quæ ter-  
 minis merè Theologicis; aliæ *mixtæ*, quæ  
 partim Theologicis, partim Philoſophicis

constant. Usus 3. est ἰλεγχπικὸς seu ἀνα-  
 σκευαστικὸς: ut hic usus sit legitimus, ita  
 comparatus esse debet: Confutandæ sunt  
 prius erroneæ doctrinæ ex scripturæ S. fun-  
 damentis, tanquam unico & proprio Theo-  
 logiæ principio; postea addi etiam possunt  
 rationes Philosophicæ, ut ostendatur falsum  
 illud dogma non tantum repugnare lumini  
 gratiæ, sed etiam lumini naturæ. Postquam  
 enim veritas è Scripturâ satis superq; proba-  
 ta est, ἐπομένως vel consequenter adjungi  
 quoq; possunt rationes Philosophicæ. Hæc  
 sufficiant ne crambem alibi satis apud au-  
 ctiores Philosophicos coctam & conditam hic  
 totam recoquam.

### QUÆST. III.

*An detur demonstratio? Et illa ab ef-  
 fectu sit nobilior demonstratione à  
 causa remota?*

**U**T verò sensus quæstionis innotescat, præ-  
 sciendum quod duo sunt hujus membra,  
 quantum ad prius, circa illud contentio-  
 nis terra non segniter reciprocari cœpit, aliis in  
 negantem, aliis verò in affirmantem de-  
 scendentibus sententiam inter eos qui in ne-  
 gantium castra transierunt, sunt *Pyrrhoni*,  
*Ephæctici*, *Academici novi* & *veteres*, qui ni-  
 hil sciri posse, sed omnia incerta esse dixe-  
 runt

eunt. Soeratis in hac quaestione discutienda,
 quæ fuerit sententia, patet; nam dicere so-
 litus est: *Hoc unum scio, quod nihil scio.*
 Verum dari doctrinam demonstrationis τῆς
 δίων & τῆς ὄν, utilissimam Logicæ discipli-
 næ partem omnium consensu absolventem,
 etiam insignem doctrinæ hujus esse usum per
 omnes bonæ eruditionis partes se latè dif-
 fundentem, Logicam scholam ingressuri af-
 firmamus, quemadmodum nobiscum omni
 tempore sanior Philosophorum pars pronun-
 ciavit. Huic sententiæ inprimis addit robur
 Zabarella pronuncians *Demonstrationem*,
 matrem ipsius scientiæ, unde scientiarum
 certitudo dependet, *Magistram omnis soli-
 da eruditionis.* Quia hujus certitudine &
 infallibilitate animus redditur planè ἀπιστά-
 πτωτ & ἡγὴ ἀμετακίνητ, hoc est, à præ-
 cepta rei cognitione dimoveri & deficere
 nescius, scientia demonstrativâ instructus.
 Ut assertionis certitudo & veritas adhuc e-
 vadat luculentior, in hunc modum argu-
 mentamur: *si datur scientia, strictè &*
*ἀνεξβῶς* sic dicta, quæ est certa rei necessa-
 riæ per causam cognitio: *dabitur itaq; &*
*demonstratio* seu syllogismus apodicticus: At
 verum antecedens; quia dantur omnia, quæ
 ad hujusmodi scientiam requiruntur, *subje-*
*ctum, affectiones, principia.* E. & conse-
 quens

quens Si dantur propositiones ad demon-  
strationem necessariæ, ex καθ' αὐτὸ, κατὰ  
παντὸς & καθόλου πρώτων, datur demon-  
stratio: sed verum prius, E. Quanquam e-  
nim sedem ubiq: ἀπόδειξις non inveniat,  
quæ ad usitatas demonstrationis species per-  
tineat, nihilominus apodictica ἀκρεβία  
procedimus, quando intellectus nostri im-  
becillitas patitur, conditio materiæ ac re-  
rum fert indoles. Quantum ad posterius  
membrum ζητήσεως nostræ, etiam affirma-  
tum imus, quia demonstratio ab effectu &  
affirmata & negata esse potest, sed à causa  
remotâ ad demonstrandum effectum tantum  
negativè & non affirmativè argumentando  
procedimus: quia sublatâ seu negata causa  
remota, tollitur quidem effectus, sed posi-  
tâ eâ non statim ponitur effectus. Quare  
concludimus, illam demonstrationem τῶ ὄπ,  
quæ ab effectu progreditur ad causam, esse  
nobiliorem eâ, quæ progreditur à causa re-  
motâ ad effectum. Hujus assertionis ratio  
exinde emergit certior & evidentior, quia  
per eam in regressu invenire possumus cau-  
sam primam & proximam, cujus beneficio  
proinde scientiam simpliciter sic dictam ac-  
quirimus. Hic regressus demonstrativus fit,  
quando ex cognitione effectus mens primò  
pro-

provehitur in cognitionem causæ ignotæ, postea verò regrediens ex eadem causa eundem effectum demonstrat.

#### QUÆST. IV.

*An doctrina de anima spectet ad forum  
Physicum?*

Sufficit tantum pauciores adducere lineas, pro affirmativa quæstionis propositæ, propter eos, qui statuminant hujus tractationem referendam esse nunc ad Metaphysicam, Pneumaticam, Ethicam & Theologiam: Verum non insuetum est, unam rem in diversis disciplinis considerari, quod *materiale* seu res considerata Philosophis appellatur, modus tamen considerandi, quod *formale*, diversus: sic considerat animam Ethicus, ut sciat in qua parte animæ hæreant virtutes, quomodo affectus refrænandi & ad μεσότηα quandam reducendi; Physicus autem cum de anima agit, scientificam & magis distinctam requirit animæ cognitionem. Anima etiam à Philosopho consideratur vel hoc modo, pro ut est *actus* corpori immersus & velut alligatus, vel cum corpore conjunctus, quatenus corpus gubernat, fovet, informat; & sic quin ejus tractatio omninò ad forum Physicum pertineat, nullo modo dubitamus: quia in Physica consideratur materia homi-

nis; ergo ejusdem scientiæ est cognoscere formam hominis, nam *contrariorum est eadem scientia*. Pro stabilienda hac assertione ulterius sequenti modo argumentamur: Cujus est agere de toto; ejusdem etiam est agere de partibus totum illud constituentibus: ast Physicæ est agere de toto nempe Homine. E. & de Anima quæ est nobilior pars compositi. Vel altero modo ut est *actus* à corpore separatus, in sese & ratione suæ essentiæ *absolute* consideratus, & sic ejus tractationem sibi vindicat Pneumatica.

#### QUÆST. V.

*Utrum tres anime in Homine sint distincte? Et tres ejus partes constituenda, Spiritus, anima Et Corpus?*

Quod spectat ad primum quæstionis nostræ membrum; non audiendi sunt illi absurditatis patroni, qui existimabant ante nativitatem hominis competere primum animam *vegetantem*, postea *sentientem*, deinde *rationalem*, h. e. Homo primò vivit in utero vitam stirpis, deinde extra uterum animalis, postremò hominis, & quidem ita, ut accedente sensitiva pereat vegetativa, accedente rationali pereat sensitiva.

Quid

Quid enim hoc est? ex semine humano primo fieri plantam: ex planta brutum: ex bruto tandem hominem? Sed hæc assertio hoc introducit absurdum; Quod sic homo duplicem sentiret mortem, nimirum plantæ & bruti, ante nativitatem, hoc est, antequam nasceretur.

Non magis accurati sunt illi, qui plures in uno vivente formas specificas simul constituunt, contra Philosophorum effatum: *entia non esse multiplicanda præter necessitatem.* Cum nulla datur urgens necessitas statuendi in homine præter animam rationalem, animam sensitivam & vegetativam, quod est contra principium Metaphysicum hoc: *Entis unius una est essentia.* Quare frustra talis animatum pluralitas introducit. Et quamvis in homine reperiantur operationes istarum animarum, non tamen inde inferre licet; ergò etiam ibi sunt animæ, non conceptu duntaxat, sed re distinctæ: cum in confesso sit, *formam superiorem posse prestare omne id, quod potest inferior.* Ac, si tres darentur animæ, triplex in homine quoq; daretur ortus, triplex vita, triplex essentia, triplex mors: At hæc omnia absona: Ergò. Consequentia patet, quia anima & vita (in actu primo) realiter non differunt: ubi triplex est vita, ibi triplicem

cem dari mortem nullum est dubium. Propterea concludimus, quod una tantum in quovis vivente est anima specifica: h. e. in homine una est re anima rationalis inferioribus facultatibus vegetandi & sentiendi instructa, quæ propter diversas functiones, diversa sortitur nomina, diversos conceptus: quatenus ad corpus naturale, appellatur forma: quatenus corpus animatum, anima vegetativa: quatenus animal, sensitiva: quatenus hominem, rationalis,

Pro statu quæstionis obtinendo, alterum hujus membrum negamus, considerando hominis originem, compositionem & interitum. Gen II:3. ubi de creatione hominis agitur, expressè fit mentio duarum tantum partium, *corporis de limo terræ formati, & anime divinitus inspiratæ*, unde factus homo vivus, totus homo. Et quod homo dicatur totum, non intelligendū *totum* perfectionale, potentiale, universale, numerale, integrale; sed *essentiale*, compositum ex *materia & forma*, tanquam principijs constitutivis seu partibus essentialibus, nimirum anima rationali & corpore organico: non enim illa absq; hoc, nec hoc absq; illa Hominem facit; sed ut ex harum partium conjunctione constituitur homo, ita ex harum disjunctione tollitur & moritur. Alii duas in homine



mine ponunt animas easq; contrarias, unam à Bono, alterum à Malo Deo inditam, ut Manichæi asseverante Augustino: Verum hæc Manichæorum falsa opinio, tanquam diabolica in Concilio Constantinopolitano damnata est. Alij statuunt tres animas, *vegetativam, sensitivam, rationalem*. Etiam hæc sententia, ut patet ex antecedentibus, rejicitur tanquam absurda. Alij defendunt tres esse hominis partes, corpus, animam & spiritum constituendas: Sed neq; hæc sententia sibi constat: quia de tertia illa parte, *spiritu sc.* nec Naturæ nec Scripturæ libri tradunt, nec mentionem injiciunt.

#### QUÆST. VI.

*An vindicatio seu ultio, quâ delicta pro merito corriguntur, in judice sit actus justitiæ commutativæ?*

**H**Anc quæstionem *objecto* justitiæ distributiæ & commutativæ, cum *proportionem*, quâ æquitas utriusq; mensuratur probe consideratis, hoc loco quasi colophonem adducturi, affirmamus. Cum enim justitia *distributiva* pro *objecto* habeat ea omnia, quæ spectant ad totam civitatem, ac sub distributionem cadunt, inter eos, qui sunt unius civitatis cives, pro dignitate cujusque personæ, ut sunt onera, præmia, honores & dignitates, quas Respublica confert, rectè  
etiam

etiam hanc observat proportionem, quam  
habet una persona ad aliam respectu rei tra-  
dendæ. *Commutativa* autem circa commu-  
tationes, contractus, obligationes cœterasq;  
occupata, quæ proportionem & æqualitatem  
rei redditæ & acceptæ, mercis & pretii, pœ-  
næ & dilecti unicè intendit. Pœnæ vero nec  
sub distributionem cadunt, nec communes  
sunt, nec esse debent omnibus civibus, sed  
planè respuunt proportionem Geomet. quæ  
pro inæqualitate personarum, inæqualia di-  
stribuit præmia. Præmia publica sicut ad  
totam communitatem pertinent, ita ad sin-  
gulos cives eatenus spectant, quatenus alicujus  
communitatis partes & membra sunt. Ma-  
jus minusvè erit illud præmium, quod publi-  
co nomine confertur, prout majores aut mi-  
nores cujusq; in Republica partes sunt. Quod  
si Geometricè delicta corrigenda & punienda  
sunt, jam in eodem delicto deprehensi, Nobilis  
& Liber *acrius*, plebejus & servus mitius essent  
puniendi, aut punirentur. Ne nunc dicam ju-  
stitiam particularem in sola consistere medi-  
ocritate rationis, vel in medio rei & rationis  
simul; Medium autem rationis, tum Cœte-  
ras circumstantias, tum etiam Personæ con-  
ditionem includere. Pœnas esse irrogandas ju-  
stitia commutativa, sive secundum propor-  
tionem Arithmeticam statuit, *ὅτι ἐν ἀρίθμῳ*

Dn.

Dn. D. Gyllenstålpe his verbis : *Qualitates & circumstantias facti ex quibus delicta dijudicanda, quæ ex causa, personâ, loco, tempore, quantitate, qualitate & eventu ponderantur, non hoc innuere personarum respectum habendum esse, atq; sic Geomet. Proport. servandâ, sed ex circumstantiis delicti quantitatem dijudicandam, ut pœnæ juxta leges commutativæ justitiæ Arithm. Proportione appendantur & quantum quis deliquerit, tantum etiam pœnæ sustineat* 2. Propugnantis negativam sententiam contradicit Aristoteles & cum eo communis veterum schola Ethicorum, qui pœnarum irrogationem, actum faciunt just. commutativæ. Arist. utrosq; contractus, tam *invitos* quam *voluntarios* ad unam speciem justitiæ refert : *Restat inquit, justum quod fit in emendandis commerciis, tam in iis quæ suâ sponte faciunt homines, tam in iis quæ invitis ipsis efficiuntur.* 3. Nec omnia delicta, quæ prima fronte videntur eadem esse, statim prorsus eadem sunt. Expendendæ utiq; circumstantiæ sunt, scilicet quo ingenio sit qui fecit, quo statu, quo consilio fecerit, qua voluntate; perversitas hic multum aggravat & elevat factum. Nec statim inamus circumstantias illas, quæ factum variant Arith. proportionem excludere. Verum cum factum ex circumstantiis dijudicandum sit, non est mirum

rum ex Personæ, in quam delinquitur, qualitate idem *aggravari*, aut *elevari*, aut *mitigari*; & sic propter hanc personæ circumstantiam, diversam pœnam applicandam esse. Non quod hic personarum respectus & sic Geomet. proportio servetur, sed quod Ministeriales agit partes, in quantum circumstantia personæ delictis diversitatem inducat, h. e. delictum vel aggravat vel elevat, unde & pœnæ diversitas oritur. Pleniorē expositionem hæc quæstio, ut & cœteræ superiores desiderarent, sed ingratiā prolixitatem, quæ nos plenis passibus, præter mentem & voluntatem insequitur, descriptionis, quod facere constitui, compendium prohibet.

### AXIOMATA;

1. Logica est pars Philosophiæ, & per artem rectè definitur.
2. Prædicamentorum doctrina pertinet ad Logicam.
3. Nulla species perit, nulla de novo oritur.
4. Singulare prius ab intellectu cognoscitur quam unisversale.
5. Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.
6. Inter actus voluntatis velle, nolle, non velle & non nolle datur discrimen.
7. Theologia naturalis in gentibus meretur commensationem.
8. Omne ens est bonum.
9. Non omnis dator est liberalis.
10. Non omnis *πρωσωνληψία* damnanda.

SOLI DEO GLORIA.